



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Quae Concilia Sancta Romana Ecclesia suscipiat, ead. distinct.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

Inquisitorum cum Commentarijs. 55

EX DECRETIS DISTIN. XV.

Gelasius in concilio habito Romæ
cum LXX. episcopis.

*Quæ & concilia sancta Romana Ecclesia
suscipiat.*



SANCTA Romana Ecclesia post illas veteris testamenti & noui scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet sanctam synodum Nicenam cccxviii. Patrum, Mediantē Constantino Maximo Augusto, in qua Arius hæreticus cōdemnatus est: sanctam synodum Constantinopolitanam, mediantē Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hæreticus debitam damnationem excepit: sanctam synodum Ephesinam in qua Nestorius damnatus est consensu Beati simi Papæ Cælestini, mediantē Cyrillo Alexandrinæ sedis Antistite, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato: sanctam synodum Chalcedonensem, mediantē Marciano Augusto, & Anatolio Constantinopolitano episcopo, in quo Nestoriana, & Eutychiana hæreses simul cū Dioscuro, eiusque complicitibus damnatæ sunt. Sed & si qua sunt concilia, à sanctis Patribus hæcenus instituta, post istorum quatuor auctoritate, & recipienda decernimus, & mandamus, iam nunc subiciendum est de opusculis sanctorum Patrum, quæ in Ecclesia Catholica recipiunt. Opuscula beati Cypriani Martyris, & Carthaginensis Episcopi: item opuscula B. Athanasij Alexandrini Episcopi: item opuscula B. Gregorij Nazianzeni Episcopi: item opuscula B. Basilij Cappadociae Episcopi: item opuscula B. Ioannis Constantinopolitani Episcopi: item opuscula Theophili Alexandrini Episcopi: item opuscula B. Cyrilli Alexandrini Episcopi: item opuscula B. Hilarij Pictauiensis Episcopi: item opuscula B. Ambrosij Mediolanensis Episcopi: item opuscula B. Augustini Hipponensis Episcopi: item opuscula B. Hieronymi presbyteri: item opuscula B. Prosperi viri religiosissimi: item epistolam B. Leonis Papæ ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum destinata: cuius textum quispiam si vlg; ad vnum iota disputauerit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit: item opuscula, atque tractatus omnium Patrum orthodoxorum, qui in nullo à Sancta Romana Ecclesia consortio deuiauerunt, nec ab eius fidei prædicatione seiuncti sunt: sed communionis ipsius gratia Dei, vsque ad vltimum diem vitæ suæ participes fuerunt, legenda decernimus. Itē & Decretales epistolæ, quas beatissimi Papæ diuersis temporibus ab Vrbe Roma pro diuersorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt. Item gesta sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, Quis ita esse Catholicorum dubitet, & maiora eos in agonibus fuisse perpressos, nec suis

viribus, sed gratia Dei & adiutorio vniversa tolerasse? Sed ideo & secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in Sancta Romana Ecclesia non leguntur. quia & eorum, qui conscribere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur: sicut cuiusdam Quirici, & Iulitæ, sicut Georgij, aliorumque huiusmodi passionum, quæ ab hæreticis perhibentur conscriptæ. Propter quod, ut dictum est, ne vel leuis subfannandi oriretur occasio, in Sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta ecclesia omnes Martyres, & eorum gloriosos agones, qui Deo magis, quam hominibus noti sunt; omni deuotione veneramur; Item vitas Patrum, Pauli, Antonij, Hilarij, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni honore suscipimus. Item actus B. Siluestri Apostolice sedis Præsulis, licet eius qui conscripsit, nomen ignoremus; à multis tamen in Vrbe Roma Catholicis legi cognouimus, & pro antiquo vsu, multæ hoc imitantur ecclesiæ. Item scripta de inuentione Sanctæ Crucis Dominicæ, & alia scripta de inuentione capitis B. Ioannis Baptiste, nouellæ quidem & releuationes sunt, & nonnulli eas catholici legunt: Sed cum hæc ad catholicorum manus peruenierint; Beati Pauli Apostoli sententiâ præcedat: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Item Rufinus vir religiosus plurimos ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est, sed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrij libertate notauit, illa sentimus, quæ prædictum beatum Hieronymum sentire cognoscimus, & non solum de Rufino, sed etiam de vniuersis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei, & fidei religione reprehendit. Item Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus, Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus. Reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus esse reuenda. Item Chronicon & Eusebij Cæsariensis, atque eiusdem Historiæ ecclesiasticæ libros, quamuis in primo narrationis suæ libro teperis, & postea in laudibus, atque exultatione Origenis schismatici unum cōscripserit librum, propter rerum tamen noticiam singularem, quæ ad instructionem pertinent usquequaque non dicimus reuendos. Item Orosium virum eruditissimum collaudamus, quia ualde nobis necessariam aduersus Paganorum calumnias ordinauit historiam, mira que breuitate contextuit. Item uenerabilis uiri Sedulij paschale opus, quod hæroicis descripsit uersibus, insigni laude proferimus. Item Iuueni nihilominus laboriosum opus, non spernimus, sed miramur. Cæterum, quæ ab hæreticis, siue schismaticis conscripta, vel prædicata sunt, nullatenus recipit Catholica & Apostolica Ecclesia Romana.

Gelasij papa
1. decretum
de librorum
delectu.

Sancta Romana Ecclesia.] Gelasius Papa eius nominis primus, qui sedit anno Domini 494. coallo Romae conuenu septuaginta doctissimorum Episcoporum, in sine decretum edidit, quo canebatur, qui libri Christianam religionem profitentibus legendi essent ad fidem & mores idonei, qui vero cauendi: quoniam sicut ex bonorum librorum lectione mores componuntur, & fides roboratur: ita ex diverso prauorum lectio fidem aut corrumpit & tollit, aut prauos mores inducit. Legitur id decretum hodie inter decreta Gelasii primi in 2. vol. conciliorum, quod omnes decretorum fabricatores in suos centones transtulerunt. Burcardus lib. 3. decretorum, c. 220. & seq. Iuo Carnotensis par. 4. c. 64. & seq. Pannormia lib. 2. c. 91. Polycarpus lib. 3. tit. 20. Gratianus denique in c. sancta Romana. 15. dist. Emericus hoc loco eos tantum recensuit ex eo decreto libros, quos Gelasius approbavit: quoniam horum lectio ad fidem stabilendam spectabat: nam ceteros, quos ille reprobat, in 2. par. q. 23. refert.

Synodus Constantinopolitana quando habita, & quid in ea gestum.

Sanctam synodum Nicenam.] De Nicena synodo pauca quadam dixi supra commentario 5. versi. Nicena fidei. Item de Chalcedonensi, commentario 6. versi. qui Chalcedone conuenerunt. nunc de ceteris breuissime etiam dicam, ut horum quatuor conciliorum tam celebratorum notitia aliqua habeatur.

Sanctam synodum Constantinopolitanam, &c. in qua Macedonius haereticus debitam damnationem excepit.] Fuit Macedonius Episcopus Constantinopolitanus circa tempora Liberij Papae ad annos Domini 352. Hinc nefandam haesim profitebatur, asserens Spiritum sanctum Patre, & Filio esse minorem, nec eiusdem cum Patre substantiae, sed puram creaturam. Ab hoc sectatores eius Macedoniani vocati sunt, qui ab Augustino Semiariani dicuntur in lib. de haesibus, cap. 52. & ab Epiphano haesi 74. Pneumatomachi de quibus dixi latius par. 2. super q. 37. Aduersus hunc Macedonium Constantinopolitanum concilium primum habitum est a centum quinquaginta Episcopis sub Theodosio maiore Siagrio & Eucherio Consulibus, ara 419. & Damaso Papa 1. Subscriperunt autem huic Concilio, in quo Macedonius cum suis dogmatibus damnatus est, iidem illi CL. episcopi, & quoniam in Spiritum sanctum inuehebatur Macedonius, ideo in Symbolo, quod in can. 7. dicti Concilij recitatur, patetius explicatum est, quid de eo esset credendum: Credimus, inquit, in Spiritum sanctum Dominum, & uiuificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas. Eodem etiam concilio fuerunt damnati multi alij haeretici Eunomiani, Arianiani, Sabeliani, Phoriniani, & Apollinaristae, ut constat ex primo capite eiusdem concilij.

Synodus Ephesina, & quid in ea factum.

Sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est consensu beatissimi Papae Celestini.] Nestorius Episcopus Constantinopolitanus Christum purum hominem ex Maria natum

Afferuit, ideoque magnum in urbe Constantinopolitana tumultum excitauit, ad quem sedandum componendum, ut scribit Nicephorus lib. 14. historiae ecclesiasticae. cap. 32. vniuersali synodo opus fuit. Congregata est ergo synodus haec Ephesina apud Ephesum, unde & nomen accepit. Ea fuit ciuitas Ioniae longe celeberrima in Asia minori. acta fuit si Faustino credimus, anno Domini 430. in fine Pontificatus Celestini Papae primi: nec tunc alios aliter scribere, quoniam certiora sequor: conuenere in hanc synodum ducenti Episcopi: tametsi alij maiorem, alij minorem numerum statuant, ut refert Couarruias lib. 3. varia. resolut. cap. 15. Haec omnium consensu damnatus est Nestorius, & haesim Nestoriana prostrata.

Ciam nunc subiiciendum est de opusculis sanctorum Patrum.] Longum esset hic cuiusque persequi, quae ad cognitionem singulorum auctorum hic traduntur, nec nostri est instituti. Ea quae ad hunc locum spectant, tradidit Couarruias lib. 3. varia. resolut. c. 16. Nos ne actum agere videamur, libenter lectorem ad eum remittimus: licet enim in quibusdam dubia tradat & incerta, in ceteris non penitebit collocare in eo opera.

FItem Decretales Epistolae, quas beatissimi De arch Papa.] Hic locus indicat Epistolas Pontificum Decretales decretales magnae esse auctoritatis, cum venerabiliter iubeat suscipiendas Gelasius. Ceterum cum de earum auctoritate differitur, duo extrema fugienda sunt, vnum est Gratiani in c. in canonicis. 19. dist. ubi Epistolas Pontificum decretales inter canonicas scripturas posuit, dum ait in summario eius capituli, decretales Epistolas inter canonicas scripturas connumerari. sed hoc vere refutauit Alfonso Castus lib. 1. cap. 2. aduersus haesim, & subtiliter Melchior Canus lib. 5. cap. 5. de locis Theologicis, ubi emendandum hunc locum admonuit ex Augustino lib. 2. c. 8. de doctrina Christiana ne ram lectionem restituentes, ex quo deceptus fuerat Gratianus, nam Augustini verum lectio ita habet: In canonicis autem scripturis Ecclesiarum catholicarum ampliorum auctoritatem sequatur: inter quas sane illae sunt, quae Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in scripturis canonicis, ut eas, quae ab omnibus accipiuntur Ecclesijs, praeparat eis, quas quaedam non accipiunt. In eis vero quae non accipiuntur ab omnibus, praeparat eas, quas plures, grauiioresque accipiunt, eis, quas pauciores, minorisque auctoritatis Ecclesia tenent. Si autem alias inuenerit a pluribus, alias a grauioribus haberi (quamquam hoc inuenire non possit) a qualis tamen auctoritatis eas habendas puto. haec tenet Augustinus. Quae quidem sententia non ad Decretales Romanorum Pontificum, sed ad canonicas & sacras scripturas est referenda. Est autem sensus huiusmodi: In iudicio librorum canonicorum, primum videndum est quid Ecclesiae Catholicae sentiant, inter quas Catholicae Ecclesiae illarum testimonium est praefendum, quae vel suae sedes. Apostolorum ut Hierosolymitanae, Antiochenae, & similes: vel ab Apostolis aliqua epistola acceperunt, ut Corinthis,

thia, Galatid, & similes, quare Augustinus nō loquebatur de epistolis Pontificum decretalibus, vt falso existimavit Gratianus. Sed hūc locum, vt monui, alij ante nos animaduertunt.

Alterum extremum est Ioannis Vicleff, & Lutheri, quorum dixit, Decretales epistolas apocryphas esse, & seducere a fide Christi, vt refert Turrecremata in Sum. de Ecclē. lib. 4. par. 2. cap. 38. quem etiam errorem sequebatur Waldenses, vt tradit Eymericus 3. par. tit. de signis, per qua Waldeses heretici cognoscuntur. & 2. par. 9. 14. versic. textus error. Lutherus autē apud Rossensem art. 30. impias & Christo aduersarias eas appellat, eorum tamen auctoritatem efficacissime defendit Turrecremata in Sum. de Ecclē. lib. 2. cap. 108.

Denique illud est obseruandum, quod Gratianus admonuit initio 20. dist. in fionis, videlicet, epistolas Pontificum decretales canonibus conciliorum pari iure esse exequandas, quam sententiam velut manifestum Gratiani errorem acerbe reprehendit Alfonso Casirus, lib. 1. aduersus hereses ca. 2. ne gat enim (quod & probare conatur) epistolas decretales, tametsi ab omnibus recipi debeant, conciliorum canonibus equandas. Recd. verior sententia est quam optime tuetur Conarruuus lib. 4. vari. resol. c. 16. videlicet, has epistolas summā habere auctoritatem; nam si de libris & causis dirimendis agatur; tunc certum est non esse minorem Papae, quam conciliorum potestatem. glossa in cap. ad Apostolicam. de re iud. lib. 6. Innocentius & Imola, in c. graue. de prebendis. late Iacobatus tractatu de concilio lib. 5. art. 8. ex quibus colliges in libris & controuersis dirimendis concilium non habere alia potestatem, quam quae sibi a summo Pontifice tradita est. Iam in causis fidei epistola Pontificis decretalis maturo edita consilio, & in ea inuendens Pontifex determinare de fide, perinde obligat ac conciliorum generalium canones: Potestatis enim iudicium in causis fidei & morum certissimū esse, exploratissimum est apud Catholicos, cum ueq; concilia generalia absq; Pontificis Romani auctoritate quicquam in causis fidei & morum validum & firmum definire possint, sed omnino egent Papae confirmatione, vt prater ceteros grauit et vere ostēdit Blasius Nauarus Theologus insignis, quo precepto re gloriamur, lib. 3. cap. 19. de auctoritate Romane Ecclesiae, & sacro eius principatu.

g Sed ideo secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum qui scribere nomina penitus ignorantur. Hinc obseruabis eos libros, cuius auctores ignorantur, maxime de reb. ad religionem spectantibus differentes, nō facile in Ecclesia Dei legendos; nam & Gelasius hic iam eo tempore tales libros, veluti parū auctoritatis habentes legi noluit in Ecclesia; nunc autē maiori prohibitione opus fuit. Cū enim multi nostris seculis heretici

A libros ederēt falsis dogmatibus, resperfos, omisso nominis auctoris, ne protinus mali esse reprehederetur, concilium Tridentinū sess. 4. in decreto de editione librorum, valde salubriter cauit, ne vllus liber omnino de rebus sacris tractans absq; nomine auctoris deinceps imprimatur. Et qui nris c. c. c. de solis libris sacra tractantibus loquatur, ad ceteros etiam, qui sacra non tractant, optime trahitur: & propterea de illis nominatim egit concilium, quoniam maius ibi erat periculum; nam & in reliquis idem est incommodū inueniri potest, & propterea idem statuendum. l. illud. ff. ad l. Aquiliam. atq; ita nunc consuetudo Romae obseruat: nam sacri Palatii Magister nullum librum aut vendi, aut imprimi permittit absque nomine auctoris; cuius morem in hoc ceterae prouincia deberent imitari, vt fidei populo plenius cautum esset: de qua re plene cauet editum Inquisitorum generalium Reipubl. Christianae, quod incipit, Anim aduertentes. impressum in Bullario literarum. A postolicarum pro officio sanctissimae Inquisitionis.

h Cetera, quae ab hereticis, siue schismaticis cōscripta, vel praedicta sunt, nullatenus recipit Apostolica Romana Ecclesia. Haec nō modo nō recipit, verum etiam prohibet, dicit, & cōbivis, ne falsa horum dogmata (vt scribit Iustinianus in nouella 42. de depositione Antimi) ad alia perueniant seculi, de quo differui latissime inf. par. 2. in principio super c. fraternitatis, de heret. nec modo hereticorum, sed etiam profanorum librorum lectio ab Apostolis iam initio nascentis Ecclesiae interdita videtur potest ex his, quae scribit beatus Clemens Papa lib. 1. c. 7. constitutionum Apostolicarum: quae locum quia insignis est in hac causa in lectoris gratiam abscribendum curauit. habet autē ita: Abstine te ab omnibus Gentilium libris. Quid enim tibi cum externis libris, vel legibus, vel falsis prophetis; quae quidem leues a fide abducunt. Nam quid tibi deest in lege Dei, vt ad illas gentium fabulas confugas? nā si historica percurrere cupis, habes Reges: si sophistica & poetica, habes Prophetas & Iob, & Prouerbiorum auctorem, in quibus omnis poeica ac sapiētia accuratam rationē inuenies. quoniam Domini Dei, qui solus est sapiens, voces sunt. Quod si cantilenas cupis, habes Psalms: si rerum origines nosse desideras, habes Genesim: si leges & praecpta gloriosam dei legē. Ab omnibus igitur externis & diabolicis libris vehementer te contine. haec omnia ibi. Eodē pertinet c. sacerdotes. & e. legat 37. dist. & plane quot incommoda ex profanorum librorum lectione oriuntur in singulis fere disciplinis, latissime differui libro sexto de penis hereticorum in traditque copiose Alfonso Casirus lib. 3. ca. 8. de iusta hereticorum punitione, & Gabriel Præbiterus Tenonicus in libris de expungendis & tollendis malis libris.

Profanorum librorum lectio olim interdita.

Libri sine nomine auctoris non permittuntur.